

Mythologia, Venise, 1567 - IX, 05 : De Rhea

Auteur(s) : Conti, Natale

Collection Mythologia, Venise, 1567 - Livre X

Ce document a pour résumé :

[Mythologia, Venise, 1567 - X \[124\] : De Rhea](#)

Collection Mythologia, Francfort, 1581 - Livre IX

[Mythologia, Francfort, 1581 - IX, 05 : De Rhea](#) est une version augmentée de ce document

Collection Mythologie, Paris, 1627 - Livre IX

[Mythologie, Paris, 1627 - IX, 06 : De Rhee](#) est une transformation de ce document

Collection Mythologie, Lyon, 1612 - Livre IX

[Mythologie, Lyon, 1612 - IX, 05 : De Rhee](#) est une transformation de ce document

Informations sur la notice

Auteurs de la noticeÉquipe Mythologia

Mentions légales

- Fiche : Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle). Licence Creative Commons Attribution – Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR)
- Images : Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ).

Citer cette page

Conti, Natale, *Mythologia*Venise, 1567 - IX, 05 : De Rhea, 1567

Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle)

Consulté le 13/01/2026 sur la plate-forme EMAN :

<https://eman-archives.org/Mythologia/items/show/942>

Copier

Présentation du document

PublicationVenise, Comin da Trino, 1567

ExemplaireMunich (Allemagne), Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ) , Res/4
Ant. 50

Formatin-4

Langue(s)

- Grec ancien
- Latin

Pagination271v°-273v°

Des dieux, des monstres et des humains

Entités mythologiques, historiques et religieuses[Rhéa](#)

Notice créée par [Équipe Mythologia](#) Notice créée le 30/04/2018 Dernière modification le 25/11/2024

Mythologia

De Rheæ

Cap. V.

Rheam scripsit Hesiodus in Theogonia Terræ & Cœli fuisse filiam, cum ita de filiis Terræ loquitur;

*Ἦσαν δὲ τέκνα τῆς γῆς ἡ Ἰανίς, ἡ Περσεύς,
καὶ Κόρυς, καὶ Ἄρσις, καὶ Ἰσχυρία, καὶ Πότις.
Ἰάνησι, Κόρυσι, Ἀρσίσι, καὶ Ἰσχυρίᾳ.*

10

Oceanum peperit Cœlo coniuncta profundum,
Cœumq; Creumq; Hyperionemq; Iapetumq;
Thiamq; Rheamq; Themimq; anemosynenq;
At Orpheus in hymnis Rheam primam omnium à Deo factam fuisse inquit
quem Protogonum appellat, cum ita inquit;

*Ὀρφεὺς δὲ, διγὰρ ἀλλοτρίῳ ἀπαγγέλλει·
Ὁ Rheά Protogni γενίτορις filia summi.*

Quæ cum fuisset postea Saturni vxor credita, ita de illa scripsit idem Orph.

*Ὀρφεὺς δὲ ἀλλοτρίῳ, ἀρτίῳ εὐλαμνέρι μαρτυρεῖ·
Saturni felix coniux, cui splendida forma est.*

Ex hac idem poeta terram, & mare, & cœlum, & ventos genitos fuisse tradi-
dit, quæ Deorum & hominum parens appellata est, ut patet in his carmini-
bus eiusdem Orphei;

*Ῥέτις γὰρ μὲν δῖον, ἔδ' Ἰουὸς ἀνδρώπων.
Ἡ δὲ γῆ καὶ θάλασσα, καὶ ἡρῶν ἐνὶ σπέρματι,
καὶ πνεύματα πάντα, φιλὰς Ῥέτι, ἀνέμοισι.*

Mater Diuorum pariter, materq; virorum.
Ex te terra parens frugum, cœlumq; profundum,
Et mare cum ventis, veloci percita cursu.

Hanc ipsam Iouis fuisse matrem testatur Callimach. ita in hymno in Iouē;

*Ἡ δὲ δῖον ἀνέκτοισι γῆ τε καὶ ἕρως, καὶ πάντα
ἔκκει δὲ γῆς Ἰουὸς ἀνδρώπων.*

30

Nam te in Parthasia peperit Rheæ; sunt vbi colles
Arboribus tecti frondosis.

Fabulati sunt hanc Deorum matrem à quatuor leonibus in curru vehi soli-
tam, & corona turris coronari, cuius manibus sceptrum addiderunt, & sa-
cerdotes tympana xraque pulsabant, & Corybantes armati circumsta-
bant incedentem, circa quam erant sex permultæ, quarum mater credita
est, ut ait Lucretius lib. 3.

Quare magna Deum mater, materq; ferarum,
Et nostri genitrix hæc dicta est corporis vna.
Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ
Sedibus in curro biugos agitare leones.

40

Tympanum illi præterea tribuerunt, quod pulsabatur in sacris, & à castratis
sacerdotibus colebatur cum magno tiliarum cornicinumque strepitu. illud
autem factum fuit ob Atyos memoriam Phrygii pueri, qui cum à Rheæ ama-
retur, neque tamen eius desiderio vellet satisfacere, perpetuam virginita-
tem se seruaturum pollicitus est. At cum eam nō seruasset, à Rheæ in furo-
rem percitus se ipsum euiravit, atque sacerdotem illi Dæ, cui fidem viola-
uerat, dicauit. Inde vero mansit ea consuetudo, ut à Gallis vocatis sacerdo-
tibus muliebri habitu indutis Rheæ coleretur, ut testatur Lucianus in Dea
Syria;

Syria; quam idcirco quod vterentur tympanis in eius sacris, ita de illa scripsit Orpheus in hymnis;

Τυμπανοποιοντες ὡς φελαῖς περὶ τοῦ, χαλασάμενοι κίβητος.

Tympana quam mulcent, cinnitusq; aris acuti.

Sic & Ouid. lib. 1. de Ponto;

Ante Deum matrem cornu tibicen adunco

Cum canit: exigua quis stipis ara neget?

Huic Dex pinus arbor sacra fuit, quod in eam arborem denique Arum ab illa amatum, mutatum fuisse credunt, ut testatur Ovidius libro decimo Metamorph. in his;

Et succincta comas, hirsutaq; vertice pinus,

Græta Deum matri. siquidem Cybeleius Arum

Exiit hac hominem, truncoq; induruit illo.

At enim pinu postea coronatis sacerdotibus sacrificare mos fuit per aliquod tempus. Huiusce Dex famuli & Curetes & Corybantes vocati sunt: nam cum insaniam, ac belluinam quandam rabiem imitarentur, vocati sunt Corybantes à iacendis capitibus insanorum more. Hi dicti sunt etiam Galli, à Gallo fluvio Phrygiæ, cuius hausta aqua vertebantur in furorem, atque testa se ea strabant. Fiebant autem huius Dex sacrificia die nono lunæ ut innuit Nicander in Alexipharm. cum magna vociferatione;

ὅτε καὶ καὶ φέροντες ὅσους ποτὶ θυμῷ ποτὶ θυμῷ

ἰδὲ δὲ θυμῷ ποτὶ θυμῷ ὅσους ποτὶ θυμῷ

ποτὶ θυμῷ ὅσους ποτὶ θυμῷ ὅσους ποτὶ θυμῷ

ἰδὲ δὲ θυμῷ ὅσους ποτὶ θυμῷ ὅσους ποτὶ θυμῷ

Utq; Rheæ matris olim diuina sacerdos

Ipsa viis lunæ iam non luce propinquat,

Clamoremq; altum tollit: per devia cuncti

Diffugiunt, postquam ceperunt auribus ipsos

Idææ matris horrendos forte ululatus.

Hæc eadem Dea vocata fuit variis nominibus, nam & Proserpina, & Isis, & Cybele, & Idææ, & Berecynthia, & Tellus, & Rhea, & Vesta, & Pandora, & Phrygia, Pylæa, & Dindymena, & Pessinuntia à locis aliquando vel à causis vocata est. Fertur Rhea ubi Iouem in utero gestaret, atque Saturni deuittaret prædictam crudelitatem, ad montem Thaumadium Arcadiæ peruenisse, qui mons fuit ab Hoplodamo, aliisque illius sociis gigantibus in auxilium accitus, si forte Saturnus illi vim inferre parauisset. Hic autem mons non procul distabat à Molosso flumine. Fama est Rheam in parte quadam Lycæi peperisse, atque in hoc monte deceptum fuisse Saturnum cum lapidem pro filio accepisset cuius in iugo spelunca fuit quedam, in quam ingredi viris religio prohibebat, cum solis sceminis insitaturis sacris introire fas esset. Testatur Lucianus in Nigrino satis fuisse phrygiæ tibi sonum ad incitandos ad sacrificia Rheæ sacerdotes, cum illo audito statim in furorem verti soliti essent. Neque vero pinus solum sacra fuit Deorum matri, ut diximus, sed etiam quercus, ut testatur est Apollodorus lib. 3. de Diis. Atque Titiz & Cylleno prius Milesii sacrificare consueuerunt, deinde Deorum matri, cuius Dex ara frondibus quernis ornabatur, ut testatur Apollonius lib. 1. Argonauticorum, in his;

ἰδὲ δὲ θυμῷ ποτὶ θυμῷ ὅσους ποτὶ θυμῷ

ἰδὲ δὲ θυμῷ

10

30

30

49

Erat enim rhombus rota quædam parua, quam vertentes manu loris pon-

dera fecti aut xris habentibus diuerberabant, vt scripfit Bacchylides, quod fieri consueuiffe inquit nequod verbum aut vox molesta inter illa sacra audiretur. ego autem illud fieri magis crediderim, quia terram ventis & imbribus vndique pulsari significarent. enimvero quare terra sit Rhea, & cur in curtu vehi fingeretur, & cur turritam gestaret coronam, cur ue haberet Gallos sacerdotes ita patescit Lucretius lib. 2.

Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ
Sedibus in curtu biugos agitare leones.
Aeris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, neque posse in terra sistere terram.
Adiungere feras: quod quamuis essera proles,
Officiis debet molliori victa parentum.
Muralique caput summum cinxere corona,
Eximia munita locis quod sustinet vbes.
Quo nunc insigni per magnas didici terras
Horrificè festur diuinæ matris imago.
Hanc varix gentes antiquo more sacrorum
Idream vocitant matrem, Phrygiarq; cateruas
Dant comites, quia primum ex illis sinibus edunt
Per terrarum orbem fruges cœpisse creati.
Gallos attribunt, quia numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inuenti sint,
Significare volunt indignos esse putandos
Viuam progeniem quod in oras luminis edant.
Tympana tenta sonant palmis & cymbala circum
Concaua; raucifonoq; imitantur cornua cantu;
Et Phrygio stimulat numero caua tibia mentes.
Telaque præportant violenti signa furoris,
Ingratos animos atque impia pectora vulgi
Conferre metu quæ possint numine diuæ.

10

20

30

Hæc Dea vxor Saturni credita est, quoniam mutationibus elementorum tempus adest necessario. Inde vero effectum est vt marinorum omnium, & cœlestium ac terrestrium Deorum pater Saturnus, ac Rhea mater crediti sint, cum Dii ipsi vires sint elementorum, vt dictum fuit. Nam terram omnium corporum naturalium vinculum & fundamētum antiqui fuisse crediderunt, circa quam frequentiores fierent mutationes ad procreandum. Hanc cum basim elementorum & vinculum esse animaduertissent, postea accidit Deos ac Deorum vires cognosci, rerumq; singularum actiones ab hominibus colij, cum omnia ab vno Deo proficisci minime adhuc intelligerent. Ex hac enim omnia pullulasse ita inquit lib. 1. Apollonius;

40

ἐκ γὰρ τῆς ἀραιῆς, ἀδύνατα, ποιεῖται χθὺς
πάντα πνέοντες, καὶ οἶοντ' ἔστιν ὁλόκληροι.

Ex hac sunt venti, tellus, atque æquora nata
Ventosa, & vasti flammantia sydera mundi.

At vero multo sapientior Orpheus hanc Protogoni, siue solius Dei summi filiam nominauit, cum omnia elementa, omniq; mundi machina a Deo rerum omnium opifice profecta sit. Finxerunt hanc in curtu vehi, quia suapte natura terra in aere suspensa videatur cum nulla se fulciatur, neque

Z z z

tamen

Mythologia

tamen in aliquam partem magis declinet. Circa hanc feræ sunt, quia omnia animalia ab illa producantur & nutriantur; quæ cum multas ciuitates habeat, merito corona turrita insignitur. Instrumentorum vero strepitus, vim significat ventorum, qui plurimum faciunt, & quasi lenones sunt ad omnia naturæ negotia, cum sint frigoris & caloris non leues ministri, & tanquam pluuiarum ac serenitatis vehicula. trahitur à quatuor ferocissimis leonibus eius currus, qui nihil sanè sunt aliud, quàm ab Oriente & Septentrione, & his à latere regionibus venti. Hi dicuntur illam vehere, quoniam vis generationis plurimum illis adiuuatur. cum vero omnia ex illa fluere, & in ortum deduci appareant, iure Rhea *ῥέα* seu *ῥή* siue à fluendo dicta est. at nunc de Latona dicatur.

De Latona.

Cap. VI.

Vit autem Latona Cxi ac Phœbes filia, vti testatur Apollodorus lib. 1. & Hesiod. ita in Theogonia;

*φῶβος ὁ καὶ αἰὲν ἀλλοφάτος ἔλκετο τὴν ἑσπέρην
κατακλινῆς ἔσθλητα θυγάτηρ ἐν φελαίῳ
ἅπτεσσι καὶ πτερυγίοις ἐσθλὴν πολέχον αἶν.*

Inde thorum Cxi Phœbe conscendit, & illi
luncta in amore Deo Latonam concipit almam.

Sic Ouidius etiam libro sexto mutationum;

Quoque modo audetis genitam Titanida Cxo
Latonam præferre mihi?

Homerus autem hymnicus in hymno in Apollinem Latonam Saturni filiam fuisse scribit hoc pacto;

Ἀπολλὼν δὲ τὸν ἑνὸς πατρὸς μεγάλῃσιν κρήνῃσιν.

Incluta Latona, o Saturni filia magni.

Fabulantur hanc compressam fuisse à Ioue ob eximiam pulchritudinem, quâ cum in utero gestare sensisset Iuno, illam depulit è cælo, iussitque Pythoni serpenti vt illam insequeretur. Deinde terra vniuersa iurare coacta est, quod parienti Latonæ locum non concederet, præter Delum insulam: illa enim cum esset instabilis per illud tempus, sub vndis forte delitescerebat; quæ deinde cum tempus pariendi Latonæ aduentasset, vtpote non iurata in Latonam, iussa est à Neptuno consistere, & locum parturienti præbere, vt scripsit Lucianus in dialogo Iridis & Neptuni. Hæc igitur insula in mari Aegeo cum tunc ad recipiendam Latonam emerisset atque apparuisset ex vndis, Delus vocata fuit, quod nomen manifestum & apparens significat. fuit postea in hac insula vrbs in planitie ædificata, templumque nobilissimum Apollinis & Latonæ, cui mons Cynthus erat propinquus, & fluuius Iomus nomine non valde magnus, qui per insulam fluebat, vt testatur Strabo libro decimo. sed neque tamen in illa insula clam partum edere potuisset, nisi Iunonem armorum Curetum strepitus obrudisset, cum assidue sollicita esset, & Latonam insequeretur ne alicubi pareret. Complexa igitur palmam, vt à doloribus solueretur, peperit: cum mos sit parturientium mulierum proxima quæq; apprehendere, atq; ita nixæ partus doloribus soluntur. Enixus est igitur Dianam & Apollinem, vt ait in his Orpheus;

ἔσθλῃσιν ἑσθλὴν καὶ πτερυγίαν ἀδελφὴν Ἀπολλῶνα,

ἔσθλῃσιν